

gere quod sibi placuerit.

12. Obstacles autem quæ impediunt actum humanum, seu quominus actus sit voluntarius, sunt ignorantia, vis, concupiscentia, et timor, quo alioquin non aufert, sed minuit voluntarium. De singulis sigillatim agemus.

13. I. Circa ignorantiam plura sunt distinguenda: 1. Ignorantia alia est *negativa*, quæ est carentia scientiæ in subjecto non apto; alia est *privativa*, quæ est privatio scientiæ in subjecto apto; alia est *positiva*, quæ est deceptio seu error voluntarius. 2. Ignorantia alia est *juris*, seu præcepti; alia est *facti*, seu rei præceptæ. 3. Ignorantia alia est *anteecedens*, seu *invincibilis*, quæ præcedit omnem rationis advertentiam; alia *consequens*, seu *vincibilis*, quæ saltem virtualiter aut in confuso est cognita; alia est *concomitans*, quæ concomitatur actum, sed non est illius causa, nec in illum influit; actus enim etiam poneretur eodem modo, etiamsi non adesset ignorantia: huiusmodi est ignorantia illius qui occidit inimicum, putans esse feram, sed ita est dispositus, ut si cognovisset esse inimicum etiam occidisset. 4. Ignorantia consequens, seu vincibilis dividitur in *crassam* seu *supinam*, et *affectatam*. *Crassa* est quando homo negligit scire quod potest, et tenetur scire: *affectata* est quando negligit veritatem inquirere, ut liberius peccet. Hinc concluditur, quod ignorantia *anteecedens*, quæ dicitur *invincibilis* impedit et penitus aufert voluntarium. *Consequens* (quæ dicitur *vincibilis*), non aufert, sed minuit voluntarium. *Concomitans* nec aufert, nec minuit voluntarium, nam ut superius dictum est, nihil influit in voluntarium.

14. II. *Vis* quoque penitus impedit actum humanum, unde quæ fiunt vi, nihil nec boni, nec mali merentur. Violentum tamen differt a necessario, quia hoc potest esse voluntarium, ut est amor beatificus, et dif-

fert etiam ab involuntario, quod potest causari ab ignorantia.

15. III. *Concupiscentia* (quæ est motus appetitus sensitivi) quando est antecedens impedit actum humanum, seu voluntarium in partem, et quandoque in totum, si omnino rationem præveniat; unde fit quod motus sensuales, si omnis absit voluntatis consensus, ad peccata nobis non imputantur nec mortalia, nec venialia (1). Cum vero concupiscentia est consequens, et est illa quæ excitatur aut imperatur a voluntate, tunc nihil impedit actum humanum, imo auget voluntarium et culpam.

16. IV. *Timor*, vel est levis, vel gravis, qui etiam dicitur *cadens in virum constantem*. Ut sit gravis requiritur, ut malum comminatum sit 1. probabiliter imminens; 2. ut non possit vitari; 3. ut sit magni momenti saltem respective ad personas, uti ad foeminas, filios familias, pupillos, subditos etc. in quibus datur etiam timor *reverentialis*; sed hic advertendum, timorem reverentialem tunc esse gravem, cum præter pudorem, quo afficitur filius, pupillus, subditus in patri, aut tutori, aut domino adversando, timet amplius aliquam diuturnam indignationem, aut vexationem (2).

17. Oportet 2. distinguere metum ab *intrinseco* qui provenit ab ipsis facti circumstantiis: puta timor mortis quo mercator in procella projicit merces in mare, et timor ab *extrinseco* qui provenit a causa libera extrinseca, nempe ab homine. Et timor ab extrinseco potest esse *justus*, et *injustus*: quod dignoscitur a considerando an timorem incutiens habeat nec ne jus ad illum incutiendum. Item hic timor potest esse incussus ad extorquendum certum aliquem actum, aut alio fine, præter actum timoris causam positum.

(1) Vide lib. 5. De actibus humanis. n. 23. ad 25.

(2) Lib. 3. n. 717. v. Idem autem.

18. Hoc posito; timor dicitur non impedire actum humanum, illum nempe absolute voluntarium, sed solum *secundum quid*, quod idem valet, quod minuit voluntarium. Quando autem metus excuset, vel non, a lege, jam dictum est *Tract. II. n. 44*. Et quando metus invalidet vel non actum, id, dum loquimur de voto, de contractibus et de matrimonio, egetur.

19. Queritur 1. Unde actus humanus desumant suam bonitatem et malitiam? Respondemus (quicquid dicant alii) quoad materiale desumunt ab objectis, et ab eorum circumstantiis. Quoad formale, sive quoad moralem bonitatem, aut malitiam a virtutibus, quibus conformantur, aut adversantur. Et hactenus de eo, quod spectat ad speculativam questionem, nam quod ad praxim spectat, agemus in sequenti capite, *punct. III. n. 55*. agendo de distinctione specifica peccatorum.

20. Queritur 2. An actus exterius addat distinctam bonitatem, aut malitiam actui interno quoad præmium aut penam essentialem, (nam quoad accidentalem certum est apud omnes). In hac questione Thomistæ cum communiori tenent negativam sententiam, Scotistæ affirmant. Sed quicquid sit de speculativa questione, in praxi etiam Thomistæ (ut declarat Estius) dicunt, quod cum voluntas operis mali executione vehementius adhæret objecto concupito, aut magis oblectatur illo, tunc sine dubio opus externum addit aliquam malitiam voluntati. Et regulariter sic accidit: ideoque bene ait Habert, quod ille, qui externe operatur peccatum, semper dicendus est majus malum committere, quam qui tantum illud concupiscit (1).

21. Queritur 3. An detur actus humanus indifferens in individuo? Concordes sunt Thomistæ Scotistis dari actum indifferentem in specie, sive ex *objecto*, ut est deambulare, (1) Lib. 5. De actibus humanis. n. 40.

campum respicere etc. Quæstio est an detur in individuo? Scotistæ affirmant: sed probabilius negant Thomistæ, quia cum homo sit rationalis, tenetur quicquid operatur ordinare alicui fini honesto; quod omitendo, culpæ ei verti hoc debet, et actus non est amplius indifferens, nisi forte posset esse, quod ex ignorantia aliquando sine advertentia operetur. Hæc satis de his tribus celeberrimis quæstionibus, quæ magis pertinent ad scholasticam, quam ad moralem. Progrediamur ad loquendum de peccatis, quæ sunt actus humani in specie.

## CAPUT II.

### DE PECCATIS.

#### PUNCTUM I. De peccatis in genere.

22. et 23. De peccato mortali, et veniali.

24. ad 39. De advertentia.

40. ad 45. De consensu.

46. De peccato philosophico.

22. Peccatum definitur a s. Augustino, et a s. Thoma (2) *Dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*. Dicitur *contra legem æternam*; quia in hoc consistit totalis formalis malitia peccati; ideoque hæc definitio comprehendit tum peccata commissionis, tum omissionis, etenim omnia divinam legem offendunt; et comprehendit etiam transgressiones legis humanæ; cui etiam ipsa lex divina jubet, ut obediatur, *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Rom. 13. 2.*

23. Quodlibet peccatum grave est Dei offensa non effective, quia ut loquitur Angelicus (3), Deus incapax est nocenti; sed affective, et est vera injuria, et contemptus in divinam Majestatem, quæ postponitur creaturæ. An autem peccatum veniale debeat etiam dici divinæ legis transgressio, affirmamus cum Estio, Soto, Azorio, et aliis, quia licet s. Thomas (4) dicat, quod veniale non est contra, sed præter legem nisi

(2) 1. 2. q. 71. a. 6. — (3) 1. 2. q. 73. a. 8. ad. 2. — (4) 1. 2. q. 88. a. 4. ad. 1.

hilominus hoc est intelligendum in quantum sit tantum contra ordinem, non contra finem legis, qui est charitas. Sed hic ordo legis observanda est etiam præceptum: *Noti velle mentiri, Eccli. 7. 14. Non jurare omnino, Matth. 5. 34.* Igitur veniale etiam est contra legem, cum sit expresse a lege vetitum.

24. Pro certo habendam, ut dictum est n. 2., peccatum, ut sit imputabile, debere esse voluntarium, et ut voluntarium sit peccatum mortale debet esse pleno consensu patratum. Itaque 1. requiritur plena et perfecta advertentia ad malitiam objecti, ideoque motus concupiscentiæ primo primi dicti, qui penitus rationem præveniunt, carent culpa. Motus secundo primi, qui cum semiadvertentia fiunt a semidormientibus, aut alio distractis, ad summum possunt esse venialia. Motus vero deliberati, quorum plene aut saltem in confuso intellectus advertit malitiam, et voluntas eis consentit, hi sunt mortalia, ita communiter theologo cum s. Thoma (1), qui dicit quod peccatum mortale ex suo objecto potest evadere veniale ob imperfectionem actus moralis, cum non sit deliberatus, sed subitus (2). Unde alio loco sic ait: *Sic quis subito ex aliqua passione in verba imaginata prorumpat, quorum significationem non considerat, et tunc est peccatum veniale, et non habet propriam rationem blasphemie* (3) Præterea alibi dicit: *Qui ex lapsu lingue jurat, siquidem advertat se jurare, et falsum esse quod jurat non excusatur a mortali. Si autem hoc non advertat, a crimine perjurii excusatur* (4) Hinc concluditur, cum sententia communi, ad peccatum mortale non sufficere semiplenam advertentiam, sed requiri plenam et perfectam. Et ratio est (rec-

(1) Q. 7. de malo a. 6. per tot. et 1. 2. q. 88. a. 6. — (2) S. Th. 1. 2. q. 88. a. 6. — (3) id. 2. 2. q. 13. a. 2. ad 3. — (4) idem 2. 2. q. 98. a. 3. ad 2.

te inquit cardinalis Gotti), *quia peccatum mortale debet esse plene voluntarium et liberum, et consequenter cum plena advertentia committi* (5).

25. Sed magna quæstio est; an ad peccatum mortale requiratur advertentia actualis et expressa malitiæ actus, vel sufficiat virtualis, et interpretativa? Prima sententia, quam olim tenuere Cajetanus, (6) ac Medina, Lopez, Serra, Prado, et alii apud Salm. (7), atque enixe tuentur Concina, Continuator Tournely, Angelus Franzoia, Antoine, et alii recentiores (8), dicit minime requiri advertentiam actualem: sed satis esse virtuales et interpretativas, quæ in hoc consistit, quod homo teneatur, et possit malitiam actionis cognoscere, quamvis actualiter non advertat: alias (ut aiunt) reputandi essent immunes a culpa omnes scelesti homines, qui a suis passionibus, aut pravis consuetudinibus obcæcati plura mala patrant ad nihil advertentes.

26. Secunda vero sententia communior affirmat requiri actualem advertentiam malitiæ, aut periculi illius, aut saltem obligationis illam advertendi. Et hanc tenent Sylvius, Suarez, Tapia, Sanchez, Sayrus, Palaus, Salas, Bonac. Salmant. tam scholastici, quam morales, Gamachæus, Isambert, Du-Val, item Vasquez cum Lyrano, Tostato, Adriano VI. Cariel, Victoria, Corduba, et aliis (9). Item s.

(5) Gotti tr. de vitis q. 4. dub. 4. §. 3. 1. 10. — (6) Cai. 2. 2. q. 88. a. 4. dub. 3. — (7) Salm. tr. 20. c. 13. n. 5. — (8) Conc. in Comp. theol. 1. 8. D. 3. c. 2. n. 14. Cont. Tourn. tr. de pec. c. 4. a. 1. Franzoia in Busemb. 1. 5. c. 3. de peccat. Anim. P. Antoine. — (9) Sylvius in 1. 2. q. 76. a. 3. q. 3. concl. 2. Suar. tom. 5. in 3. p. D. 4. sect. 8. ex n. 14. Tapia 1. 3. q. 9. a. 5. et 11. Sauch. De præc. Dec. 1. 4. c. 16. n. 21. Sayr. Thes. 1. 2. c. 9. n. 11. Pal. tr. 2. D. 1. p. 15. n. 5. Salas tr. 13. D. 8. sect. 11. n. 87. Bon. de censur. in communi. D. 1. q. 2. punct. 1. Salm. Schol. tr. 13. D. 13. dub. 4. et Mor. tr. 20. c. 14. n. 8. Gam. 1. 2. p. 194. Isam. p. 233. Vasq. 1. 2. q. 123. c. 2. n. 6. Du Val D. 4. 178.

Antoninus, Wigandt, Sainte Beuve, et card. Gotti, quorum loca et verba infra afferentur. Hi dicunt ad omne peccatum mortale requiri aliqualem advertentiam, sive suspicionem malitiæ actus, vel in se, vel in sua causa, saltem in confuso. Ratio eorum est, quia nihil volitum, nisi præcognitum; unde nequit ignorantia imputari ad culpam, nisi de malitia objecti habeatur saltem aliqua confusa apprehensio; ille enim qui nullo modo advertit malitiam suæ actionis, vel obligationem advertendi, nullo modo peccat adversus illam agendo.

27. His positis, meum proferam sensum, et dico quod sistendo intra limites justis, præfatæ sententiæ facile conciliari possunt. Nam si dicatur ad omnia peccata mortalia necessario exposci actualem et expressam advertentiam, hoc utique falsum est, quia multipliciter evenire potest, quod plura mala, quamvis actualiter et expresse non advertantur, bene tamen imputantur ad culpam ea patrantibus, si ipsorum ignorantia sit aliquo modo voluntaria, vel ob negligentiam, vel ob passionem, aut pravum habitum, vel ob voluntariam inconsiderationem in operando.

28. Primo igitur modo ignorantia fit voluntaria ob negligentiam, ut docet s. Thomas (1. 2. q. 76. a. 3.) qui regulam ibi præmittit dicens: *Ignorantia quæ est causa actus, quia causal involuntarium, de se habet quod excuset a peccato, eo quod voluntarium est de ratione peccati.* Deinde subdit ignorantiam posse esse voluntariam duobus modis, *vel directe, sicut cum aliquis studiose vult nescire, ut liberius peccet, vel indirecte, sicut cum aliquis propter laborem, vel alias occupationes negligit addiscere id per quod a peccato retraheretur. Talis enim negligentia facit ignorantiam ipsam esse voluntariam, et peccatum, dummodo sit eorum, quæ quis scire tenetur et potest. Et ideo talis ignorantia non*

*totaliter excusat a peccato. Si vero sit talis ignorantia, quæ omnino sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est ejus quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omnino excusat a peccato.* Nota talis enim negligentia facit ignorantiam ipsam esse voluntariam. Præterea notandum hic Angelicum ultimis verbis relatâs non dubitare, quod bene possit dari invincibilis ignorantia etiam eorum, quæ quis scire tenetur. Idem scribit atibi (de malo q. 3. a. 7. ad 7.): *Ignorantia, quæ est omnino involuntaria, non est peccatum. Et hoc est quod Augustinus dicit: Non tibi imputatur ad culpam, si invitatus ignoras, sed si scire neglexeris. Per hoc autem quod addit, sed si scire neglexeris, dat intelligere, quod ignorantia habet quod sit peccatum est negligentia precedente, quæ nihil est aliud, quam non applicare animum ad sciendum ea quæ quis debet scire.* Eodemque loco addit s. Thomas, quod tum ignorantia reputatur voluntaria, cum homo propter laborem addiscendi, vel ne impediatur a peccato quod diligit, scientiam recusat; et sic ignorantia est a voluntate quodammodo imperata. Hisce igitur locis s. Doctor minime quippe culpabilem reputat ignorantiam ejus, qui non advertit, sed ejus qui negligit, sive recusat actu quodammodo a voluntate imperato animum applicare ad ea addiscenda, quæ scire tenetur circa præceptum quod urget, ut expressius declarat in corpore prædicti articuli 3. inquit: *Causa ignorantie est animum ad sciendum non applicare, et hæc ipsum non applicare animum ad sciendum id quod quis debet scire, est peccatum omissionis.*

29. Secundo modo ignorantia fit voluntaria ob passionem, quam quis vult deliberate sequi; illi enim, qui secundum suam passionem operatur bene imputabitur omnis pravus effectus tali passioni connexus, licet in particulari non agnoscatur, quia

cum homo passionem aliquam amplectatur, consequenter ipse amplectitur omnes effectus communiter ex illa passione provenientes, qui etsi in particulari non praevidentur, praevidentur saltem in confuso; volens enim aliquam explere passionem, puta vindictam, admittit consequenter saltem in confuso quaecumque perversa media, quae ad explendam passionem illam conducunt. Unde effectus provenientes, quamvis non sint voluntarii in se, sunt tamen voluntarii in sua causa, nimirum in adhærendo in passionem. Ita etiam docet s. Thomas (1. 2. q. 6. a. 8.) ubi ignorantiam hujus operantis per passionem vocat *ignorantiam male electionis*, dicens: *Alio modo dicitur ignorantia voluntaria ejus quod quis potest scire et debet; sic enim non agere, et non velle, voluntarium dicitur. Hoc igitur modo dicitur ignorantia, sive cum aliquis actu non considerat, quod considerare potest et debet, quæ est ignorantia male electionis, sive ex passione vel ex habitu proveniens. Idem repetit in Opusc. de malo q. 3. a. 10. ubi ait: Ligatio rationis per passionem non imputatur ad culpam, nisi forte quoad principium tatis passionis; quod fuit voluntarium, poterat enim voluntas a principio impedire ne passio in tantum procederet. Præterea alibi (1. 2. q. 77. a. 7.) dicit: Quando vero passio non est tanta, quod totaliter intercipiat usum rationis, et tunc ratio potest passionem excludere, divertendo ad alias cogitationes, vel impedire ne suum consequatur effectum.*

30. Tertio modo ignorantia fit voluntaria ratione pravi habitus, ut etiam habetur ex s. Thoma loco supra citato (1. 2. q. 6. a. 8.); et tunc actu mali qui ex malo habitu proveniunt, sunt pariter voluntarii, vel in sua causa, scilicet cum in principio prava consuetudo voluntarie contrahitur, vel potius quia, ut sentio cum Antoine, et auctore libri cui

titulus, *Instruz. de novelli confessori*, hujusmodi peccatores male habituati, quamvis habeant cognitionem minus expeditam quam alii, semper tamen habent cognitionem aliquam actualem suorum criminum sufficientem ad reddendos actus deliberatos et mortales; cum enim ipsi parvipendant peccatum, non fit in eorum animis illa sensibilis et memorabilis impressio, quæ fit in alio habente conscientiam minus depravatam, et hinc evenit, quod in eorum memoria non remanet vestigium actualis illius cognitionis, quam satis habuerunt antea de peccato, aut vestigium est adeo leve, ut interrogati de facili respondeant, quod non advertent; sed cautus confessarius non debet ipsi fidem præstare. Et idem videtur dici etiam posse de operantibus secundum suas pravas passiones, quibus non jam deficit omnis cognitio materiæ suarum culparum, sed cognitio est in eis tam obscura, ut vix discerni possit.

31. Quarto demum modo ignorantia fit voluntaria et culpabilis, ut dicunt Tannerus, et Antoine (1) cum s. Antonino, si homo in agendo advertenter negligit adhibere considerationem, quam res agenda meretur; illi enim qui jam advertit (ut recte ait Antoine) aliquid amplius considerandum, et tamen vult precipitantè operari, merito imputantur omnes errores, quos committit.

32. Contra vero mihi omnino tenendum videtur, si ignorantia nullo ex prædictis modis fuerit voluntaria, et homo nullam habuerit actualem advertentiam malitiæ, vel periculi, nec directe, nec indirecte, neque in se, neque in sua causa, tunc nullo modo imputantur ei errores quos non advertit. Ratio, quia ut imputentur alicui effectus cujusdam causæ, debet necessario præcedere (saltem in principio) advertentia actualis et expressa malitiæ objecti; ad

(1) Tanner. t. 2. d. 4. q. 5. l. 5. n. 103. Antoine p. 4. tr. de pecc. c. 4. q. 7. in fin.

vertentia enim interpretativa, ut recte loquuntur Salmanticenses (1), fundatur super aliquam advertentiam expressam, sicut voluntarium indirectum fundatur super directum. Præterquam quod advertentia interpretativa supponit obligationem, et potentiam advertendi; sed deficiente omni advertentia expressa, non est potentia adversandi, et ideo nec obligatio, cum nulla obligatio liget, nisi prius quodammodo agnoscat.

33. Dices: Omnis ignorantia in eo, qui tenetur et potest suam obligationem advertere, est vincibilis, et propterea culpabilis. Sed recte respondent Sylvius et Suarez, quod ille qui omnino ignorat malitiam objecti, et adhuc obligationem advertendi, habet quidem potentiam remotam, sive physicam ad advertendum, sed caret potentia proxima et expedita, quæ homini necessaria est ad cognoscendam deformitatem suarum actionum. *Quis nesciat non esse in hominis potestate, quod sciat?* ait s. Augustinus, lib. de spir. et lit. c. 35. n. 63. in fin. Unde nequit ipse naturaliter, ac humano modo suam vincere ignorantiam. Agnoscat quidem suam actionem qua actio est, sed ignorabit eam qua mala est; sola enim cognitio objecti in esse physico non est sufficiens principium ad discernendum, nec ad inquirendum objectum in esse morali, quod equidem prorsus differt a physico. Quando nulla (sapienter ait p. Suarez) talis cogitatio in mentem subit, qua possit voluntas excitari ad querendam scientiam, non est in potestate hominis se ad illam movere, et consequenter non potest. Atalis ignorantia homini imputari (2). Et hoc est quod docet s. Thomas (1. 2. q. 76. a. 2.) dicens: *Unde propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis scire tenetur, est peccatum. Non autem imputatur homini ad negligentiam, si nesciat ea quæ scire non po-*

(1) Salm. tr. 20. c. 43. n. 7. — (2) Suar. in 3. p. 10. 5. D. 4. sect. 8. n. 48.

*test: unde horum ignorantia invincibilis dicitur, quia studio superari non potest. Studium autem hoc sive diligentia adhibenda ad expellendam ignorantiam, ut recte advertit Sylvius cum Medina, et Richardo (3), non debet esse summa, sed sufficit si sit moralis, et talis quam prudentes communiter adhibere solent in re gravi; superveniente enim dubio indoctus debet consulere peritos: doctus vero consuleret libros, vel cum aliis doctis rem conferre.*

34. Hanc denique sententiam observo communiter teneri ab auctoribus, non solum probabilistis (qui eam non jam ut probabilem, sed tanquam certissimam apud omnes agnoscunt, sicut scribit Suarez), at etiam antiprobabilistis; etenim de Sainte Beuve doctor sorbonicus sic ait: *Si advertatur tantum in actum materialiter sive physice consideratum et non formaliter seu moraliter, erit tantum volutus actus, ut est quid physicum, et non ut est quid morale, ergo non ut malum; et in hoc non erit malitia (4). Cardinalis Gotti scribit: Dico secundo, ad peccatum mortale sufficere advertentiam implicitam seu virtualemente malitiæ actionis vel ejus periculi. Etenim eo ipso quo quis dubitat aut suspicatur de malitia suæ actionis, vel malitiæ periculo, et tamen rei veritatem inquirere negligens actionem ponit, censetur interpretative et ipsam malitiam velle (5). Wigandt pariter inquit: Dico 1. Deliberatio, seu advertentia est duplex: una est plena et perfecta, quæ adest quando homo advertit, non solum ad operationem quoad entitatem naturalem ejus, v. g. ad esum carniæ, sed etiam ad ejus malitiam, aut periculum transgressionis legis: alia est imperfecta, etc. Dico 2. Ut aliquid in individuo*

(3) Sylvius in 1. 2. q. 76. a. 3. concl. 1. et deinde q. 3. concl. 4. — (4) Sainte Beuve de pecc. D. 5. sect. 1. a. 3. — (5) Gotti tr. de vitis. q. 4. dub. 4. §. 3. n. 11.

imputetur ad culpam mortalem, debet adfuisse plena et perfecta deliberatio (1). Consentit his s. Antoninus, qui ad peccandum mortaliter in delectatione morosa requirit, non solum deliberationem, sed etiam animadversionem periculi, his verbis: *Aut ergo manet talis complacentia post sufficientem deliberationem, et animadversionem periculi, et tunc est mortale* (2). Alio loco inquit: *Defectus recti iudicii ad considerationis vitium pertinet, prout scilicet aliquis in recte iudicando deficit, ex eo quod contemnit vel negligit attendere ea ex quibus rectum iudicium procedit* (3). Consentit etiam continuator Tournely, qui sic concludit: *Itaque, ut intra veri limitis gradum sistamus, existimamus eum, qui ita non advertit ad peccati malitiam, ut vel naturali raptus distractione, vel ob similem causam advertere non possit, peccato non teneri. Sic excusabitur penitens, qui injunctam penitentiam præ oblivione non implet. Verum aliter dicendum de actionibus, quas eliciunt aut omittunt viri terrenis rebus absorpti, passionibus suis servientes, assueti ut nequidem cogitent se non cogitare* (4). Sed idem jam nos admisimus supra n. 28 ad 31. Consentit etiam Antoine, qui agens de ignorantia dicit, inadvertentiam sive inconsiderationem esse culpabilem in eo, qui præcipitanter agit jam advertens rem indigere majore consideratione, vel qui actu positivo vult sequi passionem quæ advertentiam impediatur. *E contra* (dicit) *si inadvertentia sit invincibilis in homine habente cognitionem habitualement debitam, est prorsus inculpabilis, et excusatur a peccato ea quæ ex illa fiunt contra legem; quia malitia actus tunc nullatenus ne interpretative quidem est voluntaria; nam sine potestate cognoscendi non potest esse volitio* (5).

(1) Wig. tr. 4. Ex. 2. de pecc. n. 50.

(2) S. Ant. p. 2. tit. 5. c. 5. in fin.

(3) Idem ibid. c. 11. sub init. — (4) Coar. Tour. tr. de pecc. c. 4. a. 1. part. 1. —

35. Hinc concludendum, quod opinio eorum (si forte adsunt) qui dicunt operanti adversus legem imputandos esse omnes errores quos committit, etiamsi nulla unquam intercesserit actualis advertentia, nec directa, nec indirecta, in se, vel in causa, saltem in confuso, sed tantum adfuerit advertentia interpretativa, in hoc dumtaxat consistens, quod ipse debuit et potuit sola potentia physica et remota malitiam advertere: hæc opinio nullo modo sustineri potest; alias sequeretur, quod plurimi homines multis mortalibus culpis gravatos se invenirent, quin circa illas ullam cognitionem unquam haberint. Dicent quod homines illi in pœnam aliarum culparum, puta ob cupiditates suas non repressas, obligationes proprii status non impletas, ceterasque negligentias merentur subtractionem lucis, qua alioquin bene advertissent operationum suarum malitiam, et ideo omnes sui errores imputantur ad culpam. Sed ut illatio hæc valere posset, prius probanda esset supposita propositio, quæ nobis minime probatur: nam ratione aliorum defectuum Deus privabit aliquem sua ulteriore luce, qua tentationibus et passionibus propriis restitisset, nisi defecisset in aliis, itaque subtractio illa efficiet quod talis homo incidat in culpas, quas satis advertit ut culpas; sed non efficiet quod ei imputentur errores, quos nullo modo, neque expresse, neque in confuso ut culpas agnoscit: quia ubi non est cognitio, non est libertas; et ubi non est libertas, non est peccatum. Instabunt. Sed s. Thomas (Lect. 7. in cap. 1. epist. ad Rom.) dicit: *Si ignorantia causatur a culpa, non potest subsequentem culpam excusare*. At hoc dicimus sane intelligendum de ignorantia voluntaria aliquo ex modis, ut supra ab eodem Angelico explicatis. Præterquam

(5) Antoine part. 1. tr. de peccat. cap. 4. q. 7. y. Quare.

quod s. Doctor loquitur ibi de infidelibus, quibus errantibus in fide, ob eorum certe culpabilem ignorantiam, merito imputantur ad culpam omnia mala quæ patrant.

36. Præterea si absque ulla advertentia imputantur homini omnes sui errores, quamvis ipse, debita diligentia jam adhibita, recte operari iudicet, sequeretur quod ad honeste operandum non sufficeret sequi sententias (si sint minus tute) nec probabiliores, nec probabilissimas, nec etiam moraliter certas. Sed hoc dici nequit, cum ab Alexandro VIII, damnata sit prop. 3. quæ dicebat: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*.

37. Remanet objectionibus prolixis adversariorum satisfacere, sed nos brevi expediemur. Opponent 1. illud in reg. 13. juris in 6. ubi dicitur: *Ignorantia facti, non juris excusatur*. Sed huic bene respondet Sylvius (1) id intelligi de statutis forensibus, uti jam explicat Glossa ibidem, in foro enim judiciali post legis promulgationem ignorantia transgressorum ordinarie præsumitur vincibilis; nisi adsit aliqua ratio, quæ contrarium præsumere faciat, ut habetur in cap. In tua tit. Qui maritum accus., etc.

38. Opponent II. quod si ad omnia peccata requireretur actualis advertentia, inculpabiles reputandi essent Judæi crucifigentes Dominum, Pagani occidentes martyres, et Hæretici innumera crimina perpetrantes. Sed uno verbo his omnibus respondetur, nempe quod horum omnium ignorantia fuit et est omnino crassa. Loquens enim Christus Dominus de Judæis, dixit: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Joan. 15. 24. Idem quippe dicendum de Infidelibus, et Hæreticis, quibus ob suam malitiam vel supinam negligentiam omnes sui errores juste imputantur ad culpam.

(1) Sylvius 1. 2. q. 76. a. 3. q. 1 concl. 7

39. Opponent III. quod sententia requirens aliquam advertentiam actualem non differt ab ea, quæ peccatum philosophicum tuebatur a culpa theologica immune. Sed respondetur, quod ideo præfata opinio proscripta fuit ab Alexandro VIII., quia ille qui operatur contra rectam rationem, ut supponitur in peccato philosophico, etiamsi non reputet lædere Deum, reipsa jam lædit, offendendo enim naturam rationabilem, offendet simul ipsius naturæ Auctorem. Sed in tali peccato semper requiritur, ut homo advertat suam actionem rectæ rationi adversari Quid ergo commune est inter peccatum philosophicum, et actionem illam, qua quis nullo modo, ne in confuso quidem advertit esse malam, et forte aliquando bonam reputat?

40. Præterea ad hoc, ut peccatum sit mortale, requiritur plenus consensus voluntatis, ut communiter omnes dd. catholici docent, Contensonius, Tournely, Gonet, Wigandt, Gotti, Concina, Sanch. Salmant. Cardenas, etc. ex s. Thom. 1. 2. q. 88. a. 6. Ratio est, quia ad peccatum consummatum requiritur perfectum voluntarium, quod idem est, ac plenus consensus (2). Potest tamen voluntas assentiri gravi culpæ cum consensu indirecto, nempe cum vult causam prævidens effectum, ut superius dictum est; sed hoc intelligitur cum adest obligatio impediendi effectum, nam si in aliquo casu non adest talis obligatio, excusabitur quidem (causam ponendo) a malitia effectus, cum positive non vult, licet illum prævideat (3).

41. Notandum I. post intellectus advertentiam, tribus modis posse voluntatem ferri circa objectum peccaminosum sibi propositum, 1. positive in illo consentiendo, 2. positive resistendo, 3. negative se habendo, nec consentiendo, nec resistendo. Hinc fit quæstio, an graviter peccet, qui negative se habet, et

(2) Lib. 5. n. 5. — (3) Ib. v. Prænot. II.

positive non resistit appetitus sensitivi motibus circa objectum graviter malum? Generaliter loquendo juxta sententiam veriore Gerson., Sanch., Castrop., Salmant. cum s. Thoma et aliis, iste leviter peccat, non vero graviter; nam periculum consensus, quod potest esse in non resistendo, non est proximum, sed tantum remotum (1).

42. Sed secus procedit in delectatione carnali, cui (juxta sententiam communem DD.) tenemur sub gravi positive resistere, quia ista, cum sunt vehementes, de facili possunt sibi trahere voluntatis consensum, si ipsa positive non resistit (2).

43. Quomodo autem hujusmodi carnis tentationibus resistendum sit, auctor quidam modernus quoad frænam externam et sensualem commotionem dicit, multum prodesse, vestibus tegere, et comprimere partes commotas. Quoad præservandam animam a consensu, juvant devota cogitationes super Jesu Christi morte, super inferno, aut morte: et valde quoque proderit animo revolvere conscientia remorsus, quos anima, patrato peccato, sensitura erit cum advertet Deum amisisse. Sed maxime quoque juvat, imo necesse est in hujusmodi tentationibus ad orationem confugere; nam (teste Sapiente) castitas obtineri non potest, nisi a Deo, et per orationem: *Et ut scivi, quod aliter non possem esse continens, nisi Deus det, adii Dominum, et deprecatus sum.* Sap. 8. 21. Invigilet confessarius ad insinuandas penitentibus præcipue recidivis, istas considerationes, ne eorum sequatur exemplum, quibus satis est ab ore penitentis audivisse, se amplius nolle peccare; et nullo alio interposito sermone, eos absolvunt. Præ cæteris eos moneat, ut in turpibus tentationibus, ne cum eis mente sermocinentur, sed propositum renovent se mori potius esse paratos, quam as-

(1) Lib. 5. n. 6. — (2) n. 7.

sentiri Dei offensæ, et ut inde statim invocent pluries cum fiducia SS. Nomina Jesu, et Mariæ, hac invocatione intendentes eorum auxilium exposcere. Dixi, *ne mente cum tentationibus sermocinentur*; omnes enim spiritus magistri advertunt quod in hujusmodi sensus tentationibus, sicut etiam in illis contra fidem, satius esset mentem alio divertere, quam manu cum eis (ut dici solet) conflicari; contrariis voluntatis actibus obstando, et rationes exquirendo, quibus sibi suadeat, cur consentire non debeat. Cum vero motus sunt leves, melius erit, quin resistat, si eos contemnat (3).

44. Et insuper advertatur non esse obligationem resistendi tentationibus, et motibus carnalibus, cum adest iusta causa positive non resistendi, puta si quis expertus esset, resistendo magis augeri motus, et contra contemnendo cessari: aut sit motus proveniant ex aliqua necessaria, aut utili actione, sicut est ab audiendis confessionibus, aut a legendis libris, ut discatur disciplina moralis, aut medica, aut a tactibus necessariis in medendo, et similibus. Nam tunc (ut docent DD.) non tenemur opus ommittere propter hujusmodi involuntarios motus, nec resistere positive, si illi motus durarent, et magna esset molestia debere semper eos positive repellere. Satis tunc erit dare operam, ne consentiat: dum hæc ipsa diligentia erit sibi sufficiens reluctatio. Ita Tolet. Cajet. Laym. Tournely, Azor, Sanch. Lacroix, etc. (4)

45. Notandum II. peccata omissionis requirere actum positivum, et deliberatum voluntatis in consentiendo omissioni operis præcepti, ut bene docent *Gonet, Filliuc. et Salm.* quidquid dicant alii (5). Insuper advertendum omissiones, quæ proveniunt a causa prius posita, non imputari ad peccatum tunc, cum omittitur præceptum, sed cum ponitur

(3) Vide lib. 5. n. 8. — (4) Lib. 5. n. 9.

— (5) Vide Salm. tr. 20 c. 10. n. 41.

causa, ut recte dicunt *Sanch. Becan. Filliuc.* contra alios. Hinc qui causam ponit prævidens effectum, exemp. gr. qui ebriatur prævidens se omissurum Sacrum, etsi accideret, ut postea Sacro adesset, etiam ei confitendum esset peccatum omissionis, quia præstitit consensum, cum causam posuit, nempe ebrietatem (1) Nihilominus si peccato consummato annexa sit censura, et quis, antequam effectus sequatur, se retractaret, tunc esset reus effectus præcogniti, sed non incurreret censuram; quia censura requirit contumaciam eodem temporis momento, quo peccatum consummatur (2). Si quis omitteret Sacrum, ut iret venatum, aut ut ludo vacaret, sat erit si tantum confiteatur Missæ omissionem; quia ideo ludus, et venatio sunt illi peccatum mortale, quia sunt causa omissionis Sacri (3).

46. Notandum III. propositionem, quæ dicebat non esse mortale, nec mereri poenam æternam peccatum philosophicum, nempe illam culpam, quæ dignoscitur esse contra rationem, sed non contra legem divinam, quæ his verbis adnotatur: *Quod in eo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, sit grave peccatum, sed non offensæ Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei; neque æterna pœna dignum, merito fuisse damnatam ab Alexandro VIII, quia qui advertit opus suum essenturæ rationabili adversum, advertit saltem in confuso injuriam quæ irrogatur naturæ auctori, qui est ipse Deus.*

#### PUNCTUM II.

DE PECCATIS IN PARTICULARI, DE DESIDERIO, COMPLACENTIA, ET DELECTATIONE MOROSA.

47. *Desiderium, gaudium, et delectatio.*  
48. *An in delectatione explicanda sit species.*

49. *Delectatio de opere malo, et de mala cogitatione.*

50. *Desiderium mali, si esset licitum.*

(1) Lib. 5 n. 40. v. Notandum III. — (2) Ib. in fin. — (3) n. 9. v. Hic demum.

51. *Delectatio et desiderium inter sponsos etc. et inter conjuges.*

52. *Delectatio de causa mala ob bonum effectum.*

53. *De damno alterius ob bonum finem*

54. *De rebus prohibitis lege positiva*

47. Inter cogitationes peccaminosas distinguenda sunt inter se desiderium, gaudium, (sive complacentia), et delectatio morosa. *Desiderium* respicit tempus futurum, et est cum homo deliberate cupit opus malum opere complere. Hoc desiderium dicitur efficax, cum quis proponit illud exequi, inefficax cum consentit in voluntate exequendi, si posset: v. g. si diceret, vellem surripere thesaurum ab ecclesia, si possem. *Gaudium* respicit tempus præteritum; et est quando homo complacet sibi de malo patrato. *Delectatio morosa* denique respicit tempus præsens, et est cum quis præsentem sibi imaginatur actum peccati, et de illo oblectatur, ac si tunc illum exequeretur. Et dicitur *morosa*, non quia opus sit longa mora, ut fiat peccatum; quia illa potest momento compleri; sed ob moram deliberatam, quam voluntas facit (4).

48. Hoc posito, notandum I. tam desiderium, quam complacentiam comprehendere totam malitiam, et omnes species, quibus objectum induitur; unde si quis v. g. cupit cum aliqua coire, vel sibi complacet de copula habita cum illa, debet explicare qualitatem mulieris, an sit conjugata, an habeat votum castitatis. Ideoque bene docent Salm. (5) cum Lugo, Castrop., etc. quod si quis se jactat de peccato patrato, debet explicare in confessione omnes species illius, quia in se jactando regulariter adjungitur ad jactantiæ malitiam etiam complacentia de peccato commisso (6). An autem idem dicendum de delectatione morosa, quæstio est. Alii affirmant, ut Cajet. Less. Sanch., etc.; alii negant, ut Azor. Lugo, Bo-

(4) Vide Opus nostrum I. 5. n. 15. — (5) Tr. 20. c. 3. n. 66 et 67. — (6) L. 5. n. 26.